

tiam. Vnde. *Audiam quid loquatur in me dominus deus.* Atque ita singula Psalmorum sensa in tres, quatuor, quin, et plures particulas pro aevi illius gustu secundo proceditur usque ad *Psalmi CXLIX. v. ultimum* et sic concluditur: *Vt faciant in eis iu. con. Vnde Daniel. ver. Sedit iudicium. et libri aperti sunt. et iudicatum est secundum quod continetur in eis.* De Thoma Novoniensi vel fortasse Novomensi altum apud Gesnerum, Oudinum, Fabricium, Egassium Bulaeum, Lelongium silentium. Neque Bibliothecarum *Mss.* Editores, quorum praecipuos solerter consulimus, quidquam mussant. Solus Montefalconius pag. 1256. *Sermones Thomae de Noyum* commemorat, qui nossterne sit, dicere non habemus, opus tamen ipsum ad Sec. XII. aut XIII. pertinere arbitramur. Codicis nostri fol. 1. capitali litera adscriptum est: *Sentencie de Augea*; id quod conjecturam facit, illum quondam in possessione cujusdam celeberrimorum Monasteriorum, quae *Augiae* nomen praeferunt, fuisse.

## CCCXVI.

372 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 68. f. per duas columnas exaratus et rubricis distinctus est: *Summa super sententias Magistri petri*, videlicet dicti Lombardi, cujus Prologus incipit: *Sicut desidiosi et pigri nimium lectoris est obscura et magnis senten-*

*tiis grauida nolle exponere. ita quoque non studiosi sed superstitiosi est ea que plana sunt longis nimium et peregrinis expositionibus honerare &c.* Expositio ipsa: *Nos cupientes mittere. i. addere aliquid expositionis in gazophilacium domini. i. in scripturis dei que dicuntur gazophilacium &c.* Finis L. IV. *mater que non comedit magis delectatur de ipsa re. i. de melle comesto a filio. quam filius delectatur in mel comedendo. Explicit summa sententiarum.* Accedit Index. Difficile est in tanto eorum numero, qui inde a Sec. XII. in *Petri Lombardi Sententias* commentati et commenti sunt, Autorem praesentis *Summae* digito monstrare, nisi Curiosorum quis in Exemplar incidat forte fortuna ejus nomine insignitum.

## CCCXVII.

Codex chartaceus lat. Sec. 215 XV. Folior. 136. f. corrente calamo scriptus, olim *Petri Lambecii* continet I. *Commentaria in IV. Libros Sententiarum Petri Lombardi*, hoc initio: *Quoniam in paucioribus via magis (expedita?) ideo scripta sententiarum communia studendo et legendo cogitui fore congruum omnium questionum conclusiones cum breui declaratione in unum breuiter et ordinate colligere &c.* Finis: *qui ad gaudia eos secum trahit eterna, ad que nos perducere dignetur &c.* Adjectum: *Explicunt soluciones supra quatuor libros sententiarum in scolis prage collecte.*

1243

C O D I C E S

1244

II. fol. 125. p. 2. Brevis Nomenclator latino germanicus, jam in litera C. definens. v. g. Actio *de werkende kraft in der materien*. Armonia *Zote Done*. Adherere *tho kleuen*. Atramentum *Zwer-te*. Benignus *mynsam*. Blaeta *ene vledermus*. Coequalis *medeghe-lyk* &c.

III. fol. 130. p. 2. Narratio fabulosa inscripta: *De Morte Ade*. Incipit: *Post ade peccatum et eodem de paradyso expulso propter peccatum* &c. Adam vitae pertaesus mittit filium *Seth* ad *Cherub* custodem *Paradyfi* orans, ut sibi oleum misericordiae a Deo promissum subpeditaretur. *Seth* mirandis multis in *Paradyso* conspectis refert tria grana pomi ex arbore vetita sibi ab Angelo data, sub lingua demortui Parentis ponenda. Confurgunt ex his virgulae tres, videlicet cedrina, cypressina et pinea, symbolum *Triados*. Has decerpit *Moses* prodigia earum ope patraturus. Atque hic Narratio in *Cod.* deficit, legitur vero productior in *Evangelio* dicto *Nicodemi* apud *Fabric. Cod. Apocr. N. T.* a pag. 278. in *אֵלֶּיךָ אֵלֶּיךָ* f. *Revelatore Arcanor.* cujus locum ex epistola *Pauli Chr. Hilscheri* habes apud *cit. Fabric.* in *Cod. Pseudep. V. T.* p. 81. Item graece ex *Cod. Bibl. Augustanae* apud *Gretserum L. I. de Cruce* c. 4. Italice in *Fioreto nouello del Testamento vecchio e nouo* impresso *Taruissii* 1478. et alibi, unde latine conversam *Job. de Pineda* Libro V. *de Rebus Salomonis* c. 14. infe-

ruit. Citant eam praeterea *Nic. de Lira* ad c. V. *Jobannis*, et *Jac. de Voragine* in *Hist. Lombard.* ad diem *Inventionis S. Crucis*. Multum ubique, ut fabellarum mos est, variat, eo tamen tendit, ut ex iis virgis crucem *Christi* tandem enatam disceremus.

IV. fol. 132. p. 2. Summaria *Psalmoreum*, quae incipiunt: *Consideratio processus humani generis quomodo quidam proficiunt ad beatitudinem. quidam vero deficiunt ab ipsa. Psalmus. Beatus vir qui non abiit* &c. Definunt cum *Psalmo* ultimo.

CCCXVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. 284 XV. Folior. 214. f. per duas columnas corrente calamo exaratus et olim *Monasterii B. V. M. Scotorum Viennae* continet I. praemisso *Indice D. Thomae Aquinatis Quodlibeta XII.* quorum Primum incipit: *Quaesitum est de deo angelis et homine* &c. Leguntur haec *Quodlibeta*, Scholasticis olim ex eo dicta, quod materiam propositam in *quamlibet* partem versarent, qua in re ingeniis saepe nimium indulgebatur, in edit. *Opp. Thomae Romae* 1570. T. VIII. f. postquam jam Sec. XV. plus vice simplici typis excusa fuissent. Ad calcem adjacent quaedam ex L. II. et IV. *Revelat. Birgittae*.

II. fol. 147. Incipit *quodlibet fratris Richardi de media villa triplex*. Initium primi: *In mea generali disputatione de quolibet quaedam*